

tatem Lutheri, sed ejus adductas rationes, destruant illas, si poterunt, adversarii. Quanquam cœteroquin B. Hulsemannus acutissime ad hæc verba Lutheri: *Ni fallor, inquit, fuit Mart. Lutherus Georgio Calixto & Conrado Hornejo aliquando perspicacior. Experientia autem & prudentia, quid turbet Ecclesie & Reipubl. quietem, quid servet, tanto instructior, quanto Achilles Therseite. Si vidisset itaque aut sperasset Lutherus, facilius posse transigi, de tot voluminum diversis interpretationibus, pseudopigraphorum, corruptorum, interpolatorum discretione à genuinis, authenticis & nativis SS. patrum scriptis, quam de Theopnevstis paucis perspicuis & divinis sermonibus, non erat novis istis Machaonibus laudem reperta facilioris medendi methodi relicturus.*

(β.) *Præstare libris Symb. Antiquitatis testimonia, illos enim esse scripta recentiora. Resp. Dupliciter possunt libri Symb. considerari, vel quoad materiam vel quoad formam: quoad materiam seu quoad dogmata quæ continent, non cedunt antiquitatis prærogativa vel antiquissimo scripto: licet quoad formam h. e. & phrasas & verba modumque scribendi concedimus esse recentiora. Hoc autem nil derogat eorum auctoritati publicæ. Ad casum autem illum, quem adversarii excipiunt: Rectius scilicet & commodius pagano aut cuiusvis infideli & seducto probari veritatem dogmatum Christianorum è Scripturarum & Antiquitatis testimoniis, quam ex auctoritate recentium Symbolorum, nota seqq. Alia est methodus paganis & infidelibus veritatem dogmatum Christianorum demonstrare; alia certas formulas præscribere, juxta quas Magistratus in suis di ionibus vult proponi verbum Domini. Non prius intenditur per libros Symb. sed posterius. Id enim Corpus Julium & Formula Conc. clare & aperte testantur.*

H

Quod